

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Ioanni Reiffenstein S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

Ioanni Reiffenstein S. D.

Gratum est mihi officium, mi Ioannes, quod literas ad me dedisti, plenas amoris erga me tui. Neque uerò de animo tuo unquam dubitavi, cum iudicem te singulari naturæ felicitate ad humanitatem et has uirtutes mitiores, quas *ibonias* uocamus, factum esse. Sed delectat me tamē hæc significatio beneuolentiæ. Quod properas ad nos redire, laudæ equidē studium tuum, & tibi non sum defuturus: sed tua causa maxime fratres domum remisi, ac uolo ut te honestissima & sanctissima matre oblectes, ut fruare domestico confirmandarum uirium causa, ut hanc militiam literarum facilius postea perferre possis. De meo consilio, quando uos huc proficisci uelim, scribam Marcello. Vale.

D. D. Chiliane Goldstein.

Cum agi uiderem de schola isthinc transferenda in locum salubriorē, sepe etiam mihi tui uenit in mentem: quem, quicquid accidisset, optabam unā cum reliquo sodalitiū docentium esse: sed uidebam certa de causa uix posse te peregrinationē longinquam suscipere. Nec poteram tibi absens quicquam adferre uel opis, uel consilij: ita alienissimo tempore me casus quidam illinc abstraxerat. Nunc quoniam constituisti isthic diutius manere, opto ut bene eueniat. Ego si meo arbitrio uiuere mihi liceret,

ret,